



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Qu[a]e sunt eleemosynae necessariae?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

nes. Item **E**uangelium uocat ad **C**hristum reges
 & principes, manentes in imperijs, **L**icet igitur
 esse diuites. **S**ed **R**egula **S**alomonis tenenda est,
 qui ait, **F**ontes tui deriuentur foras, & tu domi-
 nus eorum esto. **H**ac figura pingit & proprieta-
 tem rerum, & eleemosynas. **U**t enim alijs conce-
 dimus ut ex fonte nostro hauriant aquas, aut de-
 ducant riuulos, ita tamen, ut nos fontis domini-
 cæ retineamus, sic ex fructibus nostri patrimonij
 congerendæ sunt eleemosynæ, ita tamen, ut fun-
 dus nobis sit saluus, seu ut sit incolume patrimo-
 nium. **N**am & reipubl. caussa opus est esse mul-
 tos diuites. **I**gitur utraque uirtus necessaria est,
 parsimonia in conseruandis patrimonijs, & libe-
 ralitas in largiendis eleemosynis, sed necessarijs.

Quæ sunt eleemosynæ necessariae?

Tria genera sunt præcipue necessaria. **P**ri-
 mum, conferre aliquid ad ministerij eccle-
 siastici conseruationem. **H**oc officium sæ-
 pe præcipitur in scripturis. **C**hristus ait, **D**ignus
 est mercede is qui laborat. **E**t **P**aulus ad **C**orint.
Sic & **D**ominus ordinauit, ut ij qui annunciant
Euangelium, uiuant ex **E**uangelio. **E**t addit ma-
 gnas promissiones **C**hristus in **E**uangelio, **Q**ui
 G 2 dederit

dederit minimo in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Et extant passim in prophetis promissiones amplissimæ, ut Haggæi primo & Malachæ primo. Sciant ergo pij hoc genus elemosynarum ita necessarium esse, ut qui non præstant pro sua uocatione & facultatibus, & pro suo loco, grauius offendunt Deum. Principes et respublicæ debent tueri pios ministros & curare eis uictum. Debent & studia excitare suo sumptu. Sic & priuati debent liberaliter conferre ad alendos ministros ecclesiasticos & studiosos. Debent & alijs officijs eos iuuare.

Secundum genus est, largiri egenis cognatis, ut parentibus, fratribus, liberis, aut alijs propinquis, quia in dandis elemosynis primum est habenda ratio propinquorum, sicut Paulus inquit ad Timotheum, Discant primum exercere pietatem erga propriam familiam, & uicem reddere parentibus. Ita si quis suos, & maximè domesticos non curat, deterior est infideli, quia cognatis dupliciter obligati sumus, & naturali φιλοσογία, & propter illud commune præceptum de iuuandis egentibus. Sæpe autem existit naturalis φιλοσογία, etiam in ignaris Euan-gelij.

Tertium genus est iuuare alienos, quos tamen præ-

præfens occasio nobis commendat, scilicet quia nobiscum uiuunt, & impediti ualitudine aut alijs ueris difficultatibus, non possunt sine alieno auxilio uiuere. Hos petentes non iuuare pro modo facultatum est peccatum, sicut 1. Ioan. 3. scribitur, Qui habet facultates & uidet fratrem suum egere, & claudit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ita & lex Mosi, cum præcipit ut singule ciuitates suos egenos sustentent, significat præsentibus talia beneficia deberi. Nam in Deuteronomio capite 15. nominatim fit mentio illorum qui nobiscum habitant. Sic enim inquit textus, Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus tibi daturus est, ad paupertatē redactus fuerit, non obturabis cor tuum, etc. Et deinde, Non decrunt pauperes in terra habitationis tuæ. Idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri egenti & pauperi, qui tecum habitat in terra. Constituit & Paulus modum elemosynis 2. Corint. 8. ut ita largiamur, ne nobis sit tribulatio, alijs remissio, sed ut ex æqualitate pro præfenti occasione ex eo quod nobis superest consulatur illorum inopia. Hic cum nominatim dicat ex eo quod superest, uult ut largiamur de fructibus patrimonij, nec tollit discrimina di-

uitum & pauperum, Non enim tollit distinctionem dominiorum, & politicas ordinationes. Nam & paulò ante præfatus est, se de uoluntaria collatione loqui, non imperare ut discedant à facultatibus. Ergo æqualitas intelligenda est non Arithmetica, sed Geometrica, id est, ut ratione fiant æquales diuites & inopes, uidelicet ut quisque ditior est, eo sit liberalior. Item ut diuites benigne largiantur, inopes uerò non abutantur aliena liberalitate, nec utantur alieno nisi in necessitate, non exhauriant aliorum patrimonia etc. Nam mendicitas, quæ non habet probabilem causam, est peccatum, & furti species, sicut 1. Thessalonicen. 4. dicitur, Adhortamur uos fratres, ut studeatis esse tranquilli, & suum quisque officium faciat, & laboret suis manibus. Et 2. Thessal. 3. Si quis non uult laborare, non comedat. Item, Ut cum tranquillitate laborantes, proprium panem comedant. Talibus ignauis mendicis non est opus largiri. Ac uidendum est in elemosynis, ne sint profusiones ad ostentationem comparatæ, sed necessitati aliorum consulant propter mandatum Dei. Hæc uera officia seuerissime præcepta sunt, & habent grauissimas comminationes & promissiones, sicut ait Christus, Esuriui, & non dedistis mihi cibum. Prouerbiorum
21. Qui

21. **Q**ui obturat aures ad clamorem pauperis, uicissim clamabit & ipse, & non exaudietur. **I**tem **E**saie 58. **F**rango esurienti panem tuum, etc. tunc inuocabis, & **D**ominus exaudiet.

Licet ne Christianis uti contractibus?

Licet, iuxta usitatam regulam, **E**uangelium non abolet ordinationes politicas, aut œconomicas, & quidem iura nature non abolet. **S**unt autem contractus iuris nature, quia uita humana habet opus mutua communicatione, quæ fit per contractus. **Q**uare sciat **C**hristianus contractus esse ordinationem **D**ei, sicut alias politicas ordinationes, quemadmodum & **S**alomon dixit, **L**ibra & pondus, iudicia **D**omini sunt, id est, res à **D**eo iuste ordinatæ. **S**ed in primis consideret **C**hristianus finem illarum ordinationum principalem. **D**eus enim hæc dona ordinauit ad hunc finem, ut per ea mutuam charitatem exercereamus.

Quare **C**hristianus in fide utetur contractibus, tanquã dono **D**ei, et sciet his officijs exercendam esse charitatem erga proximum. **Q**uare nõ defraudabit proximum per prætextum contractuum, nec struet per contractus insidias proxi-

C A mo.